



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

Quando sonitum campanarum aut tubaru[m] audimus. Exercit. 58

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

*Quando sonitum campanarum  
& tubarum audimus.*

*Exercitium. 58.*

*Psal. 150. Laudate Dominum in cymbalis  
bene sonantibus, laudate eum in cymbalis  
iubilationis.*

*1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar &  
Angelorum: charitatem autem non ha-  
buero, factus sum velut aes sonans aut  
cymbalum tinniens.*

*Matth. 24. Mittet Angelos suos cum tuba  
& voce magna, & congregabunt electos  
eius à quatuor ventis.*

*Sophon. 1. Dies ira dies illa, dies tribulati-  
onis & angustia: dies calamitatis & mi-  
seria. dies tenebrarum & caliginis, dies  
nebulae & turbinis, dies tuba & clango-  
ris.*

*Consideratio.*

**R**ecordabimur terribilis clango-  
ris tubæ illius, quæ omnes homi-  
nes excitabit, & ad iudicium voca-  
bit, dicetque: Surgite mortui venite  
ad iudicium.

*ff s*

*Gra-*

MANVALE

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias reddemus Deo, quod ante extremi huius iudicij aduentum nos excitet moneatque vt preparemus nos ad rationem illam strictissimam, quam tunc coram vniuerso mundo reddituri sumus.

*Confusio.*

**P**Vdore suffundamur; considerando spiritualem nostram cæcitatem, quia nec Dei vocibus externis, quibus per creaturas suas nos alloquitur: nec internis, à dormitantia nostra excitamur.

*Petitio.*

**P**Recabimur Deum: vt faciat semper per tubam illam terribilem qua mortuos excitatura & ad iudicium vocatura est, in auribus nostris resonare, vt vita nostra sit continua quædam additio illum preparatio.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo Patri contumeliam illam, quæ facta est vni genito filio ipsius, quando cum tubæ sonitu, per plateas vrbs Hierosolymitanæ ductus

ductus, Cruce grauissima oneratus, malefactos & mortis reus esse proclamatus est. Et supplicabimus ei vt per illā confusionem liberet nos ab illo pudore, quo peccatores in extremo Iudicij die perfundentur, quando multo māiori, cum sonitu, quam illiustubæ fuit, in æterna tormenta præcipitabuntur.

*Vesperis, antequam dormituri  
eamus.*

Exercitium 59.

*Psa. 76. Meditatus sum nocte cū corde meo,  
& exercitabar, & scopebam spiritū meū.*

*Psalms. 123. In noctibus extollite manus vestras in sancta & benedicite Dominum.*

*Psal. 45. In die mandauit Deus misericordiam suam: & nocte canticum eius.*

*Consideratio.*

**E**Xaminabimus primo cōscientiam discurrendo per oēs horas diei, & attēte cōsiderando num aliqua in re Deum cogitatione, verbo vel opere offenderimus; & de offensis dolendo, veniam eorum à Deo nobis tribui postulabimus, idq; cum firmo proposito vitā corrigendi, & admissa